

NVMMVS CASTRENSIS

JOANNIS CASIMIRI COMITIS

Palatini : cusus expeditione in Belgium susceptâ,
Anno Christi 1578.

IOANNES Casimirus Comes Palatinus à confœderatis Belgicæ statibus in auxilium vocatus, coactus copijs prolixam facti sui rationem publico scripto edidit, ad quod benevolum Lectorem remitto. Indictâ profectiois die omnes copię in unum convenēre, versusque Belgium iter suscepēre: cum que in Geldriæ finibus aliquandiu hæssent, agrè tandem, stipendijs non solutis, ultra Mosam Rymenautam usque in ordinum castra pertrahuntur.

Quemadmodum vero nullus militis est usus deficiente stipendio: sic quia nervus belli desideratus, magna erat ordinum in castris miseria, magna rerum omnium confusio: magna militum inobedientia. Casimirus nihilo minus capto Devantero ad oppidum Diestum, à Joan: Austriaco prius occupatum, contendit, & castris fossis, aggeribusque diligenter munitis, tormenta promovit, moeniaque diverberavit. Qui in præsidio erant, viribus suis diffisi non expectatâ oppugnatione, urbem in eius potestatem tradidēre. Nec erat, qui dubitaret, quin ordinum copię, per Casimiri militem auctæ plurimum, loca etiam alia occupaturæ fuissent, nisi contentiones inter Gandavenses & Walones, insuper Zelotypiæ ac diffidentię inter Andegavensem & Casimirum maximè autem pecuniæ defectus potentissimum hunc exercitum irritum & inutilem reddidissent: ita ut Archistrategus Bosfuvius, alijque militiæ præfecti nihil consulijs reputarint, quam exercitum procul ab hoste diducere. Id quamprimum factum Casimirus cum comitatu suo aulico in Angliam trajicit, à Regina perhumaniter exceptus & paulò post in Equitum Anglicorum ordinem cooprat. Absente Casimiro milites eius, acceptis salviconductus à Parmensi literis, dilabuntur: Ordinibus